



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De bono pacifico homine. III

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-45790)

8. Si recte tibi esset, & bene purgatus essemus, omnia tibi in bonum cederent & profectum. Ideo multa tibi displaceant & saepe conturbant, quia adhuc non es tibi ipsi perfecte mortuus, nec segregatus ab omnibus terrenis. Nil sic maculat & implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis. Si renuis consolari exteriori, poteris speculari caelestia, & frequenter iubilare interiorius.

## CAPVT II.

*De humili submissione.*

1. **N**on magni pendas, quis pro te vel contra te sit: sed hoc age *Ibidem.*  
& cura, ut Deus tecum sit in omni re, quam facis. Habeas *1. Cor. 4.*  
conscientiam bonam, & Deus bene te defensabit. Quem enim *Psal. 27.*  
Deus adiuuare voluerit, nullius peruersitas nocere poterit. Si tu  
scis tacere & pati, videbis procul dubio auxilium Domini. Ipse  
nouit tempus & modum liberandi te, & ideo te debes illi resigna-  
re. Dei est adiuuare, & ab omni confusione liberare. Sæpe valde  
prodest ad maiorem humilitatem seruandam, quod defectus no-  
strorum alij sciunt, & redargunt.

2. Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc faciliter *Jacob. 3.*  
alios placat, & leuiter satisfacit sibi irascentibus. Humilem *Iob 3.*  
Deus protegit & liberat; humilem diligit & consolatur: humili *Matt. 11.*  
homini se inclinat: humili largitur gratiam magnam, & post eius  
depressionem levat ad gloriam. Humili sua secreta revelat, & ad  
se dulciter trahit & inuitat. Humilis accepta confusione, satis  
bene est in pace; quia stat in Deo, & non in mundo. Non reputes  
te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

## CAPVT III.

*De bono pacifico homine.*

1. **T**unc te primò in pace, & tunc poteris alios pacificare. Ho-  
mo pacificus magis prodest, quam bene doctus. Homo pas-  
sionatus etiam bonum in malum trahit, & faciliter credit. Bonus  
pacificus homo omnia ad bonum conuertit. Qui bene in pace  
est, de nullo suspicatur. Qui autem male contentus est & com-  
motus, variis suspicionibus agitatur, nec ipse quiescit, nec alios  
quiescere permittit. Dicit saepe, quod dicere non deberet; &  
omittit, quod sibi magis facere expediret. Considerat, quod alij *1. Cor. 13.*  
facere tenentur; & negligit, quod ipse tenetur. Habe ergo primo  
zelum super teipsum, & tunc iuste zelare poteris etiam proximi-  
num tuum.

2. Tu bene scis facta tua excusare & colorare, & aliorum excusa-  
tionem

## DE IMITATIONE CHRISTI

350

*Gal. 6.* tiones non vis recipere. Iustius esset, vt te accusares, & fratrem tuum excusares. Si portari vis, porta & alium. Vide quām longē es adhuc à vera charitate & humilitate, quæ nulli nouit irasci vel indignari, nisi tantum sibi. Non est magnum cum bonis & manuetis conuersari: ( hoc enim omnibus naturaliter placet, & v. nusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis dilit. ) Sed cum duris & peruersis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus, pacificè posse viuere, magna gratia est, & laudabile nimis, virileque factum.

*2. Cor. 13.*

3. Sunt qui seipso in pace tenent, & cum aliis etiam pacem habent. Et sunt, qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt. Aliis sunt graues, sed sibi semper grauiores. Et sunt qui seipso in pace retinent, & ad pacem alios reducere student. Est tamen tota pax nostra in hac misera vita, potius in humili sufferentia pondenda, quām in non sentiendo contraria. Qui melius scit pati, maiorem tenebit pacem. Iste est victor sui & dominus mundi, unicus Christi & haeres cæli.

### C A P V T IV.

*De pura mente, & simplici intentione.*

*Rom. 1.*  
*Prou. 3.*  
*Psal. 128.*

1. **D**ubius alis homo subleuatur à terrenis: simplicitate scilicet & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & gustat. Nulla bona actio te impediet, si liber intus ab omni inordinato affectu fueris. Si nihil aliud, quām Dei beneplacitum & proximi utilitatem, intendis & queris, interna libertate perfueris. Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vite & liber sanctæ doctrinæ esset. Non est creatura tam parua & vilis, quæ Dei bonitatem non repræsentet.

2. Si tu es intus bonus & purus, tunc oninia sine impedimento videres, & bene caperes. Cor purum penetrat cælum & infernum. Qualis unusquisque intus est, taliter iudicat exterius. Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Et si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius nouit mala cōscientia. Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur, sic homo integrè se ad Deum conuertens, à tempore exiuit, & in nouum hominem transmutatur.

3. Quando homo incipit tepescere, tunc paruum metuit laborem, & externam accipit consolationem. Sed quando perfectè incipit se vincere, & viriliter in via Dei ambulare, tunc minus ea reputat, quæ sibi priùs grauia esse sentiebat.

C A P V T

